

DISSERTATIO INAUGURALIS MÉDICA

DE

V E N E N I S

INFLAMMANTIBUS,

ET EORUM

AD ORGANISMUM HUMANUM RELATIONIBUS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET
DIRECTORIS, SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS DOMINI DECANI,
NEC NON CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM, PRO
GRADU MEDICINAE DOCTORIS RITE CONSEQUENDO, IN ALMA
AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE

PESTINENSI,

CONSCRIPSIT

JOANNES HOFFORY,

HUNGARUS TORNA-TORNENSIS.

ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis
minori die Mensis Octobris 1835.

BUDAÉ

TYPIS REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

INST. MED. PAKM

T. 1835

Biblioteca Centrală

61 JUN 2002

Ingens in minima mole latet malignitas.

SVD.



INCLYTIS
STATIBUS ET ORDINIBUS
COMITATUS TORNENSIS.



V I R I S
DE PATRIA MERITISSIMIS,
SCIENTIA, HUMANITATE, ET LIBERALITATE
INSIGNIBUS,
MAECENATIBUS SUIS GRATIOSISSIMIS
IN
PERENNIS GRATITUDINIS
SUMMAEQUE VENERATIONIS PIGNUS
HASCE
LABORUM SUORUM LITTERARIO-MEDICORUM
PRIMITIAS
SACRAS ESSE VULT

DEVINCTISSIMUS AUCTOR.

Generalia de venenis.

§. I.

Venenum τοξικον, (quod a graeco τοξον sagitta ortum ducere videtur ideo, quod barbari sagittas venenato illinire solebant fomite), vel φαρμακον θανατοφορον, est omnis substantia, quae ad organismum animale vivum relata, tanta pollet oppositione dynamico-chemica, ut parva etiam quantitate adhibita gravissima sanitatis, et mortis necopinae pericula inducere valet. *)

Auctores:

J. Fr. Gmelin, allgemeine Geschichte der thierischen, und mineralischen Gifte. Leipz. 1776. neue Aufl. Erfurt, 1806.

Eiusdem, allgemeine Geschichte der Pflanzen-Gifte. 2 Thle. Nürnberg 1777.

P. Kolbani's Gifthistorie des Thier-, Pflanzen-, und Mineralreichs. Wien 1807.

Jos. Jak. Plenck's Toxikologie, oder Lehre von den Giften, und Gegengiften, a d Lat. Wien 1785.

*) Licet haec veneni definitio mere tantum relativum de eo conceptum largiri possit; nec tamen propterea acquiescere possumus in Ehrmanni projecto, cui in suo opusc. de Veneficio dol. §. 2. pro bono visum est svadere „per supremam Regni potestatem definiendum esse, quae substantiae pro venenis, et quae pro non venenis sint habendae“ ut qui bonum, inde vix ac ne vix quidem scaturiendum, maioris habuit, ac redundanti inde damna, quibus Theoria Medicinæ, Scientiarumque libertas graviter premerentur, si id, de quo sermo est, Altioris potestatis objectum foret.

Eiusdem, Anfangsgründe der gerichtlichen Arzneywissenschaft. Wien 1782.

M. P. Orfilla's allgemeine Toxikologie. Nach der neuesten verb. und vermehrt. Auflage, deutsch herausgegeben von Professor O. B. Kühn, I-er Band. Leipz. 1829.

C. R. W. Weidmann, Anweisung zur Rettung der Ertrunkenen, Erstikten, etc. und Vergifteten. Braunschweig 1804.

S. Hahnemann, Abhandlung über die Arzenik-Vergiftungen, ihre Hülfe, und gerichtliche Ausmittelung. Leipzig, 1786.

D. de Hoos, de actione venenorum in corpus humanum. Regiomont. 1801.

Fr. Albr. A. Mayer's, Gemeinnützliche Naturgeschichte der giftigen Insecten. Berlin 1792.

G. Logan, Versuch über die Gifte. Petersburg 1786.

Christ. Ludv. Hoffmann, von den Arzneykräften des rohen Quecksilbers, Sublimats, und des abgesüssten Quecksilbers. Mainz 1796.

Dr. Theod. Romien, Elemente der gerichtlichen Medicin. 2-te Ausgabe von Dunlop a. d. Englischen. Weimar 1829.

Nadler. Dissertatio de venenis fossilibus. Viennae 1779.

J. D. Mezger's kurzgefasstes System der gerichtlichen Arzneywissenschaft. Wien 1799.

D. Guerin de Mamers neue Toxikologie, a. d. Französischen von Dr. A. H. L. Westrumb. Lemgo 1829.

§. 2.

Actio venenorum merce relativa nulli subjacet dubio, nec dari venena absoluta experientia confirmat, qua compertum habemus, quod una eademque substantia varia quantitate exhibita, nunc medicamenti, nunc veneni vices agat; ac proin nunc saluti faveat, nunc eandem pervertat. Potiores igitur conditiones, a quibus actio venenorum vel maxime dependet, haec fere sunt:

α) Quantitas maior vel minor; quamobrem minori dosi solum irritant, majori vero materiae organicae destructionem, et vitae extinctionem minantur.

β) Atrium quo venenum suscipitur; quaedam in vulneratas, vel excoriatas solum agunt plagas, super illaesas vero partes nullas, aut exiguas provocant reactiones, (venenum serpentum, Upas Antiar, Ticunas, Woowora) idem non raro

venenum, pro diversitate partium varios ponit effectus; sic Tartarus emeticus, ad interiora organismi receptus vomitum, cuti vero adplicitus speciem exanthematis provocat.

γ) Diversa relatio substantiarum venenatarum ad organismum animale; sunt certe substantiae homini infensissimae, quas alia animalia absque noxa ferunt, et vicissim: sic piper sues necat, qui ex adverso hyosciamo, et nuce vomica impune vescuntur, quin imo morsus Crotali horridi iisdem innocua dicitur. Petroselinum psittacos, aloë et amygdalae dulces canes, et vulpes, interimunt. Quassia muscas, doronicum canes necat, dum eadem substantia a rupicapris sine noxa commeditur; e contra cicuta hominibus nociva a capris, datura a phasianis, aconitum ab equis absque malo assumitur effectum.

δ) Maior vel minor differentia inter qualitatem interiorum veneni, et organismi animalis; hinc venena animalia eo magis deletherios in homine exserere valent effectus, quo magis distat animal quod venenum secernit, ab illo perfectionis gradu, ad quem homo perductus est. Ut igitur fomes venenatus animalium e. g. serpentum, aut insectorum, tantum pro animalibus ordinum altiorum sit venenum, pro animalibus vero eiusdem naturae atque organisationis, item pro animalibus inferiorum ordinum, tantum indifferentem sistat stimulum. Quanta tandem discrasiae peculiaris, atque consuetudinis, in determinanda venenorum agendi ratione sit potestas, cuius notum est.

§. 3.

Actio venenorum in organismum animale vivum nunquam est pure dynamica, sed dynamico-chemica. Sunt quidem, qui omnem venenorum actionem chemicam excludunt, dynamicam tantum admittentes, neque chemismo nisi sublata vita in organismo locum esse contendunt. Quod quidem adsertum nos saltem concedere non possumus, non immemores supremarum illarum naturae legum, quibus sancitum est, ut omnis quae in corpore quocunque sit efficientiarum adfectio, simul etiam materiarum quibus corpus illud constituitur mutationem comitem habeat. Quod vero natura his legibus sancte obediens, nec in venenorum actione vel hinc alteratur, ex mutua venenorum ad organismum animale relatione, mox uberius apparebit.

§. 4.

Quaedam venena vi peculiaris suae qualitatis, atque indolis, primitivam quidem actionem in incitationem dirigunt, vel utriusque factoris vitalis energiam intendendo, vel alterutrum tantum, quo factor negativus praevalet positivo cedit, (venena stimulantia, inflammantia) vel contraria praedita virtute vitam sensiferam prosternunt, (narcotica) sed alia e contra vegetationi inimica, structurae, atque texturae organicae prae caeteris insidiantur, vel crasim humorum pervertendo praecipitem inducunt colliquationem.

Cognito vero arcto nexu inter processum vitalem, et organisationem, quis unquam expertus inficias ibit, venena inflammantia aut narcotica actionibus suis unice incitationem adficere, quin materiae simul organicae crasim pervertant, et vicissim organisationis destructionem viribus illaesis contingere posse. Alia enim materia et vires exposcit alias, et alia vis vicissim, et aliam materiam comitem habeat, necesse est.

§. 5.

Varia existit venenorum apud Auctores divisio:

a) Pro diversitate electivae actionis ad certa organa, et organismi systemata, dividuntur: in α) venena pro systemate vasorum, β) nervorum, γ) pro utroque simul, et δ) pro pulmonibus. Ast divisio haec gravibus quatitur observationibus, quibus edocemur venenorum actionem nunquam fere ad certam tantum organorum seriem, aut systema limitari, quin alia etiam systemata in sphaeram reactionis morbosae non traherentur.

b) Cognita quorundam venenorum indole chemica, optata concessa est Jatro-chemicis occasio, ad novam venenorum divisionem stabiliendam, in: α) oxygenata, et β) phlogistica, cum horum iterum in hydrogenata, carbonica, et azoica, subdivisione; ingeniosam quidem, sed ob defectum analyseos chemicae plurimarum subsantiarum venenatarum, mancam adeo, ut qui hac uti vellet divisione, in enumeratione substantiarum venenatarum paginas innumeris explendas haberet hypothesisibus.

c) Divisio venenorum e tribus naturae regnis desumpta in: α) mineralia, β) vegetabilia, et γ) animalia, eo quidem reliquis praeferenda est, quod ex tot venenis singulum, naturalem suam invenit classem, nec tamen omnibus medici vo-

tis respondet; quaedam enim venena elementa sua componen-
tia pluribus debent naturae regnis, imo nonnullorum mixtio
atra hucdum obducitur caligine.

d) Usui practico maxime conveniens divisio certe illa
est, quae in varia venenorum actione fundatur, quaeve simul
indolem ipsius veneni quodammodo patefacit; praestat hoc in-
tuitu divisio celeberrimi Orfillae in: α) corrosiva, β) ad-
stringentia, γ) acria, δ) narcotica, ϵ) narcotico-acria, et
 ζ) septica; a pluribus recepta Auctoribus, eo solum cum
discrimine, quod acria et corrosiva, quorum nempe effectus
in organismum animale vivum fere idem est, ad unam rele-
gerent classem.

§. 6.

Specialem reliquorum veneni divisionum contemplationem
siccò pede transeundo, ad palmarium nobis objectum venena
nempe corrosiva, et acria, ab effectu quem in organismo vivo
producere solent, etiam inflammantia dicta, praecipuam con-
vertemus adtentionem.

De venenis inflammantibus, et in- flammationibus toxicis.

§. 7.

Haec venena omni vitae terrestri eiusque substrato praec
omnibus reliquis infensa, si ad interiora corporis recipiantur,
jam eo dum deglutiuntur momento, labiorum, et linguae ar-
dorem, atque oesophagi constrictionem efficiunt, quibus post-
ea gingivarum tumor, oris, et linguae siccitas, sitis insatia-
bilis, sensuum stupor, insignis totius corporis lassitudo, fri-
gus cum calore alternans, inmanes ventriculi per totum quo-
que tubum intestinalem proserpentes dolores, vomitus, et
diarrhoea cruenta frequentius redeuntia, tamquam fidos sese
adsociant comites. Insequuntur tandem sudores frigidi, mictus
difficilis, artuum tremor, pulsus moderatus, intermittens,
respiratio anxiosa, brevis, singultus, nonnunquam repentina
doloris cessatio, convulsiones, animi deliquia, tandem mors.

§. 8.

In cadaveribus vero illorum, qui veneni inflammantis violentiae succumbunt, sequentia lustranti Medico se se offerunt signa: maculae nigrae per superficiem corporis hinc inde dispersae, lingua maioris molis, pharynx et oesophagus signis praegressae inflammationis notatus, aut plane membrana sua intima orbatus, pylorus spasticae contractus, ipsa vero ventriculi atque intestinorum tunica inflammata, sphakelo destructa, aut perforata conspicitur. Pulmones nigricantes, aut maculis tantum nigris hinc inde notati, cor vero, et vasa majora sanguine fluido, nigro, infarcta reperiuntur.

§. 9.

Cuti vero adplicita venena inflammantia, non tantum organi tentati, verum etiam partium proxime adjacentium vasa capillaria sollicitat, initio ruborem tantum pallidum, et ardorem, serius vero uberiolem liquidum accumulationem, quo epidermis in vesiculas extollitur, tandem gravissimam inducunt inflammationem.

§. 10.

Referuntur vero ad hanc venenorum seriem e regno anorganico Acida concentrata, Alcalia pura, murias Barytae, Phosphorus, tandem sales, et oxyda plurimorum metallorum, uti sunt: Arsenici, Stibii, Hydrargyri, Auri, Argenti, Cupri, Bismuthi, Zinci, et Stanni.

§. 11.

Principium activum in venenis mineralibus necdum satis innotuit, plurimi quidem oxygenium adcusant, ea ducti, aut seducti observatione, quod metalla regulina, Terrae, Sulphur, Carbo etc. innocua sint, neque nisi sub varia cum oxygenio unione in oxydula, oxyda, et acida evadere nociva, omnem tamen venenorum mineralium actionem a solo, quod corpora haec simplicia sibi adnexum habent oxygenio repetere, minime probabile esse videtur illis, quibus notum est plura esse corpora, quibus non minor ac cum dictis ingeritur oxygenii copia, quin eosdem ac illae effectus exserere valeant; ut igitur consultius nobis videtur lethiferos venenorum minera-

lium effectus, non a solo oxygenio, verum ab incognitis adhuc elementorum miscelis, ipsiusque substantiae oxydatae natura peculiari repetendos esse.

§. 12.

Forma omnium inflammationum, quas variae excitant venenorum inflammantium species, fere eadem est, nec nisi quam Tartarus emeticus, et Hydrargyrum provocant inflammatio, a reliquis habitu differt adeo, ut merito singularem egeant considerationem.

Post externam enim Tartari emetici adplicationem comparent in cute papulae rubrae, prurientes, saepissime tamen dolentes, forma externa variolis simillimae, quae maturacionis diem adsecutae guttulam liquoris contenti ad apicem emittentes, in crustas nigricantes exsiccantur, sine manifesto cicatricis vestigio.

Excessivus autem Hydrargyri tam internus, quam externus usus, Eczematis rubri speciem, Erythema mercuriale, vel Hydrargyriam dictam molesto pruritu, et ardore intolerabilem provocare solet. Consistit vero Hydrargyria in vesiculis exiguis, aggregatis, magnitudinem capituli acus aequantibus, areola rubra cinctis, quae rarissime magnam cutis plagam, sed frequentius unam tantum obsident partem, maxime diligunt brachia, scrotum, et lumbos, unde cyclo suo absoluto, et lamellis successive deciduis, sponte evanescent. — Inflammatio linguae, et gingivarum qui largum huius metalli usum insequitur, praeter consuetos phlogoseos characteres, uberiore salivae secretionem, sapore oris metallico, halitu foetido, et peculiari in degeneraciones fungosae nisu distinguitur.

§. 13.

Vegetabilia principio acridonata alterum constituunt venenorum inflammantium fontem. Quatenus acrimonia quae vegetabilia acria in organismum vivum agunt, non eidem ubique materiae, sed mox oleo aethereo, mox extractivo, aut resinae, mox vero alcaloidi, plurimum tamen succo lactescenti, quem variae plantarum partes largiuntur adhaeret; ita etiam rara erit occasio inveniendi vegetabile, quod in omnibus, et singulis suis partibus foret venenatum, sed plurimum nunc in radice tantum, nunc in foliis, nunc floribus, aut fructibus, maleficas suas recondunt virtutes.

§. 14.

Efficacia fomitis venenati in vegetabilibus, variis subjecta esse videtur conditionibus. Quaedam enim vegetabilia coctione, (ranunculi) alia simplici exsiccatione, (arum maculatum, a. dracunculus) venenata sua exuuntur indole. In climate fervido major generatur plantarum venenatarum numerus, quam in temperato, in frigido e contra omnis veneni genesis silet: imo ipsa anni tempora non parvum in determinanda fomitis venenati efficacia exserunt influxum, sic colchicum vere, aut ineunte aestate, plurimae vero ranunculi species semine necdum maturato, maxime vero dum adhuc tenellae sunt, lethiferos exserunt effectus.

§. 15.

E venenis vegetabilibus acribus singulari adtentione digna sunt: plumbago europaea, cerbera alovai, et manghas, cinanchum erectum, et viminale, Apocynum androsemfolium, asclepias gigantea, hydrocotile vulgaris, cariota urens, amyris toxifera, saelanthus quadragnus, et plurimae euphorbii, ari, ranunculi atque daphnae species, jatropa curcas, manihot, et multifida, cneorum tricoccum, excoccaria agalocha, anacardium occidentale, et rhus vernix, atque toxicodendron. Omnia haec vegetabilia non eadem agunt intensitate, sed pro vario effectu nunc irritationem tantum, nunc intensissimam pariunt inflammationem, in gangraenam et sphacelum mox abituram: imo quaedam eorum tanta pollent acredine, ut acidi mineralis concentrati adinstar urant, (succus nucis anacardii occidentalis) vel solo jam effluvio, noxios in animalibus producere valent effectus, maximam sibi hoc intuitu famam acquisiverunt rhus vernix, et toxicodendron, hypomane mancinella, et apocimum androsemfolium; ut quarum sola effluvia oculorum, cutisque ardorem, ruborem intensum, nec non prurimum cum insigni scalpendi necessitate, dolentemque non raro dermatitidem notabili febris comitatam provocare valent.

§. 16.

Truculentissima tandem venena regnum animale sup-
peditat.

Iniames hoc intuitu prae caeteris innotuerunt serpen-
tes, qui venenum in propriis folliculis retro oculum sub mu-
sculis maxillae superioris positus secernunt, unde sub morsu
in ductum membranaceum, denti cavo continuum, tandem per
ipsum dentem in vulnus urgetur inflictum. Venenum hoc dum
recens est liquidum refert, consistentiae olei amygdalarum,
coloris quidquam flavescentis, odoris et saporis expertem,
quod caerulea vegetabilium pigmenta non ruffat, cum acidis
non effervescit, unde nec acidae nec alcalinae indolis esse con-
cluditur: crystallos aciculares deponens in aqua fundum petit,
aëre vero atmosphaerico exsiccatum, in substantiam splendi-
dam, subperlucidam, gummi arabico non absimilem transmu-
tatur, aqua solubilem, [spiritu vini vero non solvendam. Ve-
nenum hoc illaesis partibus, et si tenerrimis uti labiis, lin-
guae, periostio, medullae ossium, durae matri, corneae etc.
adplicitum, non secus ac deglutitum, vel cum ipsis nervis in
contactum positum, nullas vitae struit insidias, sanguini ve-
ro quocunque modo adplicitum gravissima sanitatis, et vitae
pericula adfert; reproductionem materiae organicae cohibendo,
sanguinisque consistentiam, et partes constituentes alternando,
unde humorum resolutio, et sphakelosa materiae degeneratio
insequitur.

§. 17.

Horrent execrabili hocce veneno duae ophidiorum fami-
liae, *Crotalus*, et *Coluber* Lin. cum suis speciebus.
Vivunt ex his

In America: *Crotalus horridus*, *miliarius*,
drynas, *daryssus*, et *mutus*. Ex altera vero familia,
Coluber atropos, *leberis*, *dypsias*, *mycterisans*,
et *lacteus*.

In Asia: *Coluber naja*, *severus*, *stolatus*,
atrox, *ammodytes*, et *lebetinus*.

In Africa: *Coluber niveus*, *vipera*, et *haje*.

In Europa: *Coluber aspis*, *chersea*, *prester*,
berus, et *illiricus*, e quorum numero unicus tantum,
nempe *coluber berus* solum nostrum inhabitat Hungaricum.

Signa characteristicam externa, quibus serpentes venenati
a reliquis differunt, sequentia sunt: caput tumidum ad basim

maxillarum diductum, squammis, vel scutis exiguis munitum. squammae dorsales plurimum carinatae, cauda vero ad summum unam sextam totius corporis longitudinis aequat, non venenatorum e contra squammae absque carina, pars vero retro anum, ut plurimum longa esse consuevit.

§. 18.

Morsum serpentis venenati immediate consequitur dolor partis vulneratae initio pungens, urens, tandem pulsatorius, acutus, tumor durus, et ruber, mox lividus, serpens, in vesiculas plus minus conspicuas elevatus, exoriuntur spasmi, et tremores extremitatum, vertigo, et nimia virium prostratio. Febris emicat ardens cum pulsu arteriarum celeri, intermittente, sitis sit intolerabilis, nausea, vomitus biliosus, anxietas, sudores frigidi, et icterus. Serius ipsa pars demorsa, et sphakelo destructa petechialibus obsidetur maculis, ichorem foetidum, cruoremque atrum fundentibus, similem illi resoluti sanguini, qui in hocce morbi gradu ex aliis etiam corporis aperturis, nunc lento tantum, nunc largo, prosilit rivo. Toto tandem corpore, imprimis vero ventre intumescente, atque abolita prius conscientia, miseri e vivis sufferuntur.

§. 19.

Non multo minus terribilia sunt symptomata intoxicationis per venena, quae classis Insectorum suppeditat.

Quaedam horum, venenum qua partem integrantem sui corporis gerunt, notari hoc intuitu prae aliis merentur cantharides, meloë majalis, et proscarabeus, auctor: mylabris cichorei, *) et carabus, inprimis vero auratus, et coriacus Fabr: et Auctor: quorum efficaciam quidam **) insignem existimant, ipse quoque immortalis Gmelin cantharidibus sine detrimento substitui posse, suspicatur. Et Buprestis, ut lex

*) Linn. Amoen. acad. Vol. VI. pag. 136.

Sulzers abgekürzte Gesch. der Insekten. Seite 66.

**) Löseke's Materia medica. 6-te Aufl. S. 256.

Cornelia nobis perhibet, *) ab antiquis veneno accusabatur. Bubrostim tamen in lege Cornelia commemoratam, non Buprestim Linnæi, ut cuius nominis genus nec unam largitur venenatam speciem, sed speciem quamdam e genere carabi fuisse Fr. A. Mayer **) non sine fundamento suspicatur.

Tandem Oniscus asellus, et formica ruffa, acrimoniae quidquam continent, imo ipsae erucæ quaedam, in cute tangentis molestum pruritus, levemque producere valent inflammationem, non tam a mechanico stimulo pilorum tenuissimorum (quibus erucæ vestiuntur) in poros cutis insinuatorum, prouti Amoreux, Geoffroi, Reaumur, et Svitenio visum est, derivandam; quam potius acido proprio, a Chausier detecto adscribendam. Est vero acidum illud, quod erucæ prope anum in propria vesicula recondunt, peculiaris indolis, quod coeruleos vegetabilium succos ruffat, cum alcalibus unitur, metalla quaedam solvit, et igne in substantiam naphthæ simillimam, tandem in gas convertitur, quas proprietates, imprimis acidum bombycis mori, per eminentiam offerre solet.

§. 20.

Quaedam porro Insecta ad anum aculeo muniuntur cavo, quo dum vindictam spirant, cutim perforando, venenum in sacco proprio reconditum, vulnere immittunt, vel fame confecti, ad adgrediendos dormientes, non secus ac vigilantes urgentur, eoque dolorem urentem, et pungentem, tumorem durum lividum, vesiculis minimis obsitum, febrimque non raro ardentem excitari solent. Numerari huc imprimis merentur, apis mellifica, vespa vulgaris, et v. crabo, Linn. Sirex gigas, quaedam phalangiorum, et araneorum species, scorpio, imprimis maurus, tandem cimices, et culices, inter quos illi imprimis, quos America meridionalis, (culex pipiens) et bannatus Temesváriensis (culex reptans) parit, hominibus ac brutis maxime intolerabiles sunt.

*) Libr. XLVIII. Digestorum. Tit. VIII. ad legem Corneliam de sicariis, et veneficiis, Sect. III. §. 3. „Alio senatus-consulto effectum est, ut pigmentarii, si cui temere cicutam, salamandram, aconitum, pituocampas, aut bubrostim, mandragoram et id quod lustramenti causa dederint cantharidas, poena teneantur hujus legis.“

**) Fr. Alb. A. Mayer gemeinnützliche Naturgeschichte der giftigen Insecten. Erster Theil. Seite 50. Item 62.

Therapia inflammationum toxicarum.

§. 21.

Cura inflammationum toxicarum alia est generalis, alia specialis. Cura generalis perlicitur methodo medendi antiphlogistica gradui morbi rite adaequata, in tota sua extensione, quae evacuantibus, obvolventibus, refrigerantibus, et diluentibus absolvitur, quibus igitur non tantum crasim sanguinis phlogisticam emendare, vigoremque haematopoëseos coërcere, verum etiam summam stimulorum imminuere, motum humorum per vasa capillaria expedire, funestosque exitus quantum fieri potest praevertere adnitimur.

§. 22.

Generalem attamen hanc medendi rationem antiphlogisticam, omnibus medentis votis minime respondere, ex peculiari inflammationis toxicæ caractere, qualitati specificæ causæ efficientis respondente, sponte patet: quamobrem toxicæ hæ, sicut et omnes aliae ex specificis causis ortæ inflammationes, speciali quoque indigent therapie.

§. 23.

Specialis hæc medendi ratio triplici absolvitur indicatione:

1. Materia heterogenea organismo periculum adlatura quo citius removeatur.

2. Venenum congruis antidotis in novum productum chemicum organismo innocuum decomponatur, sicque perniciosæ eiusdem vires destruantur.

3. Ipsius morbi per veneficium inducti, ac in gratiam causæ genitricis specifico caractere donati, justa habeatur ratio.

§. 24.

Primam igitur, et maxime momentosam indicationis therapie paginam explent Emetica et Purgantia; quibus nempe venenum vel in ventriculo, vel in intestinis latitans sive per Emesim, sive per Catharsim conamur evacuare. Est vero summe necessarium ut Emeticum absque omni temporis iactura, et nullis adhuc inflammationis signis presentibus

porrigatur, vel in huius defectu Emesis digitis in faucibus insinuatis procuretur: illis enim sub circumstantiis ubi venenum tales in processu vitali eiusque substrato induxit mutationes, ex quibus periculum vitae imminet, Emeticum porrigere summe damnosum foret, tunc enim satius est evacuationem ventriculi liquido copioso ingesto moliri, ipsumque venenum largo remediorum mucilaginosorum usu resolvere, et obtundere, quibus votis largissimus aquae tepidae, saponatae aut saccharatae usus, lac, cremor lactis, ova cruda, decoctum seminum lini, radicum althaeae, foliorum malvae, mel, olea pinguia, gelatina animalis optime respondent.

E. vulneribus quoque venenum, si quod inductum fuit, partim abstersione, aut elotione, partim causticorum, vel ipsius ferri candentis adplicatione quantocius removendum est.

§. 25.

Altera Medici cura est, perniciosas ipsius veneni vires substantiis naturae veneni e diametro contrariis, (antidotis) obtundere, atque infringere. Praestant hanc utilitatem pro parte iam ipsa remedia §. priori commemorata, quae cum in omnibus intoxicationis casibus absque discrimine adhiberi solent, titulo antidotorum generalium salutantur.

Specialia e contra antidota in singulari tantum veneficii casu adhiberi solent, et valde pauca hucusque innotuerunt: ex innumeris enim, quae a variis proponuntur Auctoribus antidotis, quaedam venenum aut plane non, aut tam lento solum decomponunt passu, ut iis interea tempus, et occasio conceditur effectum suum deletherium late per organismum diffundendi; quinimo quaedam, cum ipso veneno in novum productum naturae animali aequo contrarium congreliendo, non minus ac ipsa venena evadunt nociva. Unde patet verum antidotorum usum arctis limitibus circumscribendum, et non nisi his regulis ducibus instituendum esse: ne adhibeantur nisi de praesentia veneni in organismum recenter delati justa habeatur certitudo, neque adhibeantur antidota nisi quae prompte agunt, et nisi virtutis comprobatae fuerint, quorumve ingenium tam mite est, ut processus morbosus veneni actione excitatus nullum inde patiatur detrimentum.

§. 26.

Ultimae tandem indicationi satisfaciunt cuncta illa remedia, quibus variis symptomatibus, quamcunque intoxica-

tionem committantibus solemus succurrere, et in quorum selectu atque adplicatione variis ducimur circumstantiis, unde etiam nunc in remediis antiphlogisticis, nunc antispasmodicis, nervinis, antisepticis, etc. salutem quaerendam esse sponte patet.

§. 27.

De singularum nunc inflammationum toxicarum cura, quaedam dicenda supersunt.

Acida mineralia concentrata forinsecus ingesta hausto copioso potu quantocius dilui, et innocua reddi debent, secus optime ab alcalibus in aegrorum salutem absorbentur, unde solutiones alcalinae, Magnesia carbonica, et usta, lapides cancerorum etc. optima praestabunt antidota. Ulterior cura, quam inflammatio linguae, oris, aut pharyngis exposcit, remediis antiphlogisticis absolvitur.

Contra Alcalia caustica, securissimum in Emeticis, dein vero in acidis, aceto vini, succo citri etc. situm est praesidium.

Contra muriatem Barytae, tutissimum antidotum in acido sulphurico diluto invenit Orfilla, sulphas quoque Natri, et Magnesia eundem usum praestare videntur.

Ad praecavendos deletherios effectus quos incautus Phosphori usus excitari solet, aquam frigidam cum carbonate Magnesiae mixtam, dein lac, et decocta mucilaginosae commendant practici.

§. 28.

In intoxicatione per praeparata Arsenicæ, ante omnia curandum est, ut vomitus procuretur; in quem finem Medici initio Emetica fortiora, serius vero quamprimum nempe graviores iu conspectum veniunt effectus, decocta mucosa, aquam saccharatam, lac, olea pinguis, mel etc. eousque donec ventriculi evacuatio insequitur, in usum trahere solent. Residuum vero in ventriculo Arsenicum congruis antidotis, aqua calcis, aqua acido hydrothionico impraegnata, decocto gallarum, aut chinae, resolvendum erit. Experimenta complura instituta comprobant, antidotum efficacissimum acidi Arsenici, quod pro intoxicatione frequentissime adhiberi so-

let, Ferrum oxydatum hydroticum seu fuscum esse. *) Ubi suspicio de transitu veneni ad intestina exoritur; clysmata emollientia, et potus demulcentes adhibeantur. Praesentibus autem signis inflammationis, antiphlogistica in usum vocentur.

§. 29.

In casu intoxicationis per praeparata Cupri, Stanni, Zinci, et Bismuthi, nocivae hae substantiae illico vomitu digitis faucibus inmissis excitato, rejiciendae sunt, dein vero ad decocta mucosa, saccharum siccum, vel aqua solutum, albumen ovi, lac, et emulsa refugiendum est. Signa gastritidis, aut enteritidis suo modo mitigentur.

Contra nitratem Argenti, murias Sodae, quo nitras A. in muriatem A. decomponitur: contra muriatem vero Auri, sulphas Ferri specificum sistit antidotum.

§. 30.

Contra muriatem Hydrargyri corrosivum, optime aqua tepida, decocta mucosa, solutio gummi arabici, ova cruda, et reliqua jam saepius nominata propinantur: quae non tantum venenum diluendo, et obvolvendo, verum eo vel maxime praestant, quod ventriculum mole sua gravant, et ad vomitum disponunt. Caetera antidota a variis auctoribus proposita, uti alcalia, decoctum corticis chinae etc. ad obtundendam hujus veneni atrociam parum valent. Reliqua tandem cura, naturae et gradui symptomatum consentanea sit oportet.

Longe aliam medendi methodum exposcunt illi status morborum, qui internum hujus praeparati usum, quamvis moderatum, diutius tamen protractum excipere solent. Uritis, et Glossitis mercurialis, topicorum imprimis remediorum usum exposcunt; in quem finem collutoria et gargarysmata, ex decoctis plantarum mucilaginosi, serius acida, et adstringentia, optimo cum successu adhiberi solent. Quamprimum vero ptyalismus, aut quo Amalgamatores imprimis vexari solent, tremoris mercurialis suspecta phaenomena in conspectum veniunt, ab ulteriori hydrargyri usu illico recedendum, atque ad internum Sulphuris, dein mucilaginosorum usum transeundum est. Thermae quoque sulphureae multum a practicis laudantur.

*) R. W. Bunsen und A. Berthold. Das Eisenoxyhydrat ein Gengift der arsenigen Säure. Göttingen 1834.

§. 31.

Ubi Tartarus emeticus nimia dosi fuit ingestus, sufficiet emesim sponte insequentem, largo aquae tepidae, aut mucilaginosorum usu sustentare, secus infusa, aut decocta adstringentia, uti corticis quercus, chinae etc. optimam praestabunt utilitatem. Exanthema vero stibiatum quod externam huius praeparati adplicationem insequitur, cum plerumque in aegrorum salutem arte excitari solet, fere nunquam curandum venit.

§. 32.

Facta per vegetabilia acria intoxicatione prima Medici cura erit, venenum emeticorum aut copioso mucilaginosorum usu remove, dein vero concitatas per veneni atrociam in organismo turbas congruo regimine antiphlogistico compescere. Securissimum antidotum acetum, aut quodcumque aliud acidum praedicatur, quin propterea, et infusum coffeae, parvae doses Camphorae, et aliae laudatae substantiae spernendae sint.

§. 33.

Dum vulnus a Serpente venenato inflictum curandum venit, hic primo id agendum, ut veneni in systema vasorum transgressus, et resorptio impediatur. In obsequium horum indicationum, cura sequenti modo coordinanda est. Adplicetur super partem adfectam ligatura, aut fasciae, aut tornaculi adiumento, ut hac ratione sanguinis contaminati, cum reliquo communicatio eousque saltem prohibeatur, donec vulnus lotionem, aut causticorum etc. adplicatione mundatum, ipsumque venenum sublatum, aut destructum fuerit. Exprimatur e vulnere sanguis, aut aqua tepida, urina, aqua calcis, aceto, spiritu vini, solutione salis culinaria eluatur, ipsum vero vulnus quo citius exuratur ferro candente, vel nitrate Argenti, aut lapide caustico. Butyrum antimonii linteo carpto inunctum, vel vulnere adplicatum, vel in horum defectu acida mineralia concentrata eandem praestant utilitatem. Interne propinetur omni bihorio uncia una vel semis infusi florum sambuci, chamomillae, aut aquae aurantiorum cum sex usque decem guttis ammoniae purae, quibus eousque donec ominosa symptomata evanescant continuandum erit. Praecipite vitae periculo abacto, ulterior cu-

ra inunctionibus oleosis, fomentis emollientibus, et leniter aromaticis, nec non remediis diaphoreticis claudatur. Transpiratio cutis imprimis sustentanda est, unde diaphoreticis, et leniter stimulantibus solerter utatur medicus.

Reliqua a practicis laudata antidota, ut cortex chinae, acida mineralia, ipecacuanha, tartarus emeticus, sal amarus, Arsenicum, opium, serpentaria virginiana, colinsonia canadensis etc. minorem merentur fidem. *Micania Guaco*, *) et *Chiococca Anguicida Americanis*, *Ophiorrhizan Mungos Indis*, Italis vero extractum *Buphtalmi Salicifolii*, qua antidota in usu sunt.

§. 34.

Symptomata ominosa quae *Cantharides*, et alia huius prosapiae insecta excitare solent, emulsis, decoctis mucosis, et remediis oleosis, nec non protracto camphorae usui optime cedunt.

§. 35.

Solitariae *Crabonum*, *Aranearum*, *Scorpionum* aut *Vesparum* puncturae, non secus ac illae, quas esurientes *Muscae*, *Culices*, aut *Cimices* tenuissimo inferre solent haustello, tam levidense sistunt malum, ut vix unquam curandum veniat.

Quodsi tamen maior insectorum similium numerus in hominem exardescat, inflammatio late extensa, febrisque comes, suo modo tractari debent. Maximum in hoc casu praesidium situm est in inunctionibus cum blando quodam oleo

*) Americani hoc remedio qua antidoto, et simul qua praeservativo utantur, dum enim certam quantitatem succi expressi absumpsissent, aut postquam inoculationem huius succi in varias corporis partes instituissent, ab omni periculo immunes se se existimantes, venenatissimos etiam serpentes tractare non reformidant.

vel mero, vel cum aliquot guttis ammoniac purae commixto, nec non fomentis, ex aqua cum aceto, vel diluta muriatis sodae solutione confectis. Ubi febriles in conspectum veniunt turbae, hae fracto inflammationis impetu sponte evanescent, quodsi tamen in aegrorum perniciem debitam excederent normam, generalis hic totius systematis vasorum excessus refrigerantibus, acidulis, aut ecoproticis mitigandus erit.



T h e s e s.

1. Actio venenorum est mere relativa; quare
 2. Nullum datur venenum absolutum.
 3. Explicatio virtutis medicamentorum ex chemicis eorum rationibus petita summae est dignitatis.
 4. Actioni medicamentorum solventium explicandae solum oxygenium non sufficit.
 5. Functio pulmonum cum cutis et hepatis munere parem fere habet scopum.
 6. In toxicationibus metallicis acutis sulphur non sistit antidotum.
 7. Tutissima regula medicum ad lectos aegrorum dirigens est perfecta morbi cognitio; hinc
 8. Bona praxis nonnisi bonae theoriae progenies.
 9. Vitae psychicae omnino explicandae leges vitae somaticae non sufficiunt.
 10. Quo simplicioribus finem assequatur, eo praestantior censendus est Medicus; unde
 11. Formulae nimis compositae minus probandae.
 12. Homocopathia non modo systematis dominantis fastigium adtingendi incapax, sed et nomine suo indigna est.
 13. Ars obstetricandi est una e dignissimis Medicinae atque Chirurgiae partibus.
-

17-17-17
[Illegible text]

17-17-17
[Illegible text]

17-17-17
[Illegible text]

17-17-17
[Illegible text]

17-17-17
[Illegible text]

17-17-17
[Illegible text]

17-17-17
[Illegible text]

17-17-17
[Illegible text]

17-17-17
[Illegible text]

17-17-17
[Illegible text]

17-17-17
[Illegible text]

17-17-17
[Illegible text]